

sertim in Sanctorum festis exponantur Reliquiae immediate supra tabernaculum et oritur praecipue in observantia regulae, quam tradit *Rituale romanum* tit. de SSmo Eucharistiae Sacramento §. 6. videlicet: *Hoc autem tabernaculum conopaeo decenter opertum atque ab omni alia re vacuum in altari majori vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius aut decentius videatur, sit collocatum.* Nam si tabernaculum operiendum est conopaeo, haud poterit locum praestare superimponendis Reliquiis aut Imaginibus. *S. Carolus Borromaeus* eorum, quae pertinent ad divinum cultum, zelator eximius, de s. supellectilibus agens, nos edocet tabernaculi formam et ornatum: *Tabernaculum SSmae Eucharistiae polite elaboratum piis mysteriorum Passionis Christi imaginibus exsculptum esse debet, in summo adsit imago Christi resurgentis vel s. vulnera exhibentis . . . forma vel octangula seu sexangula vel quadrata vel rotunda . . . a fronte altaris summa procul collocatum:* apud Gavantum ad rubr. *Missalis part. 5. pag. 1339 editionis Romanae.* Non is ego sum, qui existimem tanto cum rigore regulam hanc esse accipiendam, ut necessario imminere debeat tabernaculo imago Christi resurgentis aut vulnera exhibentis; certum tamen est parvam Crucem in summitate esse collocandam, ad quam usque non pertingit crispatum conopaeum. Si servandum id est, haud supererit locus, ubi exponantur Reliquiae aut Imagines, praesertim quia, si conopaeo velandum est tabernaculum, ac in summitate rotundum sit oportet. Nec praetereundum est summam deberi reverentiam sacello, in quo asservatur Sacramentum; ideoque, ut notat *Caeremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. num. 9.:* *Maxime decens esset, ut in*

altari, ubi SSimum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus servatum fuisse videmus. Dum autem immediate supra tabernaculum, veluti in basi, exponuntur Imagines aut Reliquiae, actio committitur, quae laedit reverentiam debitam loco ad Sacramenti custodiam destinato. Praeterea jubet praefata Ritualis Rubrica, ut *tabernaculum sit ab omni re vacuum*, et S. C. Episc. sancivit 3. Maii 1693, ne s. olea vel Reliquiae aut alia quaeque in eo retineantur. *Haud enim decens est* (ut monet Cavalerius tom. 4. cap. 5. decret. 13. num.), *quod destinatum est in habitationem ipsius Dei, occupetur ab alia re, quae Deus non sit, nisi forte ad ipsius Dei vel SSmae Eucharistiae usum deserviat.* Nonne autem eadem habenda ratio quoad usum extrinsecum, quousque tabernaculum includit Sacramentum, ita ut ab eo arceri debeat quidquid ad eundem cultum, reverentiam et custodiam non pertinet? Quamobrem, ne fiat, quod maxime dedecet et sanctissimis Ecclesiae regulis adversatur, si velint exponi Imagines et Reliquiae Sanctorum, id fieri poterit in aliqua ex minoribus aris. Verumtamen non omnes Ecclesiae id commodum praestant, quamplurimae sunt etiam ex parochialibus, quae unicum habent altare. Quid inde? Breviter respondeo, si aptior non sit eas exponendi locus, quam immediate supra tabernaculum, longe melius est, Reliquiarum expositionem omittere, quam illud agere, quod minime decet. Si vero de Imaginibus sermo sit, non video, cur praeter tabulam effigiem referentem illius Sancti, in cuius nomen et memoriam altare dedicatum est, e fronte ad parietem appositam, alia minor, ut satisfiat pietati et devotione, in medio altaris collocetur, nec illo excepto, in quo asservatur Sacramentum. Mos

collocandi parvas hasce tabulas in medio altarium invecus recenter est, et ab antiqua probataque Ecclesiae consuetudine alienus. Ideo Rubrica agens de altaris thurificatione *part. 2. tit. 4. n. 5.* memorat dumtaxat Imagines et Reliquias, quae hinc inde inter candelabra sitae sunt et debent thurificari. Equidem non ignoro, difficillimum esse abrumpere morem, qui in Ecclesiis, praesertim Regularium, fere universalis evasit, apponendi in medio altaris minores hujusmodi Imagines. Ne oriantur scandala eundem ecclesiastici Praesules tolerant; et hoc aequum est, congruit enim id permittere aliquando, quod minus decet, dummodo non sit illicitum; debitus tamen modus servandus est et consulendum, ne hujusmodi tabulae collocentur in altari, ubi SS. reconditur Eucharistia, et quatenus ibi sitae sint et nequeant omnino removeri et alio collocari sine pusillorum offensione, eum tamen locum teneant, ut a tabernaculo distent. Dixi a Praesulibus tolerari et merito dixi, unum appello Pontificem *Benedictum XIV.*, qui in Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos ditionis ecclesiasticae dat. 16. Jul. 1746: *de retinenda Crucifixi imagine palam et visibiliter exposita* plane demonstrat minorum harum tabularum usum recentem esse et potius tolerandum quam laudandum. Nam postquam initio dixerat: *in altaribus . . . praeter majorem tabulam, quae vel depictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cuius nomen et memoriam altare consecratum est, adjungi coepit alia minor tabula, in qua vel coloribus exprimitur vel aere ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti etc.*, prosequitur, nolle usum hunc improbare, sed ea utitur loquendi formula, ut illum potius ferre, quam probare videatur, quippe concludit: *Illud monendum superest, eam nobis men-*

tem haud esse, ut imagines Sanctorum, quae majori tabulae altaris superadditae sunt, de medio auferatis; (sed cur haec non est ejus mens? attende rationem, quam adducit, videlicet) *cum fortasse defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam in vulgum disseminarent, vos nulla duci dicant religione in eum Sanctum, cujus imaginem fidelium venerationi subducitis.* Poteratne clarius sapientissimus et aequè religiosissimus Pontifex intimum sui animi sensum promere, quin apertis directisque verbis aperiret? Satis id est, addere nihilominus mihi liceat, cauto opus esse, et quatenus velint minores hae tabulae in medio altarium collocari, tres conditiones omnino servandas proponam.

Prima: ne privata auctoritate id fiat, sed Ordinarii intercedat adprobatio et licentia. Et quoniam pastoralis sollicitudinis et vigilantiae praecipuum est munus ea curare, quae circa religionem et cultum versantur, ac diligenter studere, ne quid fiat a s. Ecclesiae legibus alienum vel iisdem minus aut non satis conforme, Episcopus, priusquam licentiam concedat, vel per seipsum cognoscat vel ab aliis prudentibus ecclesiasticis viris cognoscere faciat, quid et quomodo expressum in tabula sit. Etenim *cum domum Dei deceat Sanctitudo*, s. Trid. Syn. sess. 15. *de s. imaginibus*, statuit: *nemini licere, ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempla ullam insolitam ponere vel ponendum curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit;* cavendum namque est, *ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuatur.* Sed id perquam facile accidere posset, si Ecclesiarum Rectorum aut Sacrarum Custodum in arbitrio relinqueretur eas, quas maluerint minores tabulas, etsi

pias et devotas in altaribus collocare.

Secunda, quod Episcopus non permittat imagines a se adprobatas exponi in altaribus non praemissa eorundem benedictione, quae habetur cum in Pontificali tum in Rituali romano, quaeque, dum agitur de minoribus hisce tabulis, plerumque negligitur. Vide: *Acta Ecclesiae Mediolanensis ac praesertim Concilii Provinc. IV. tom. 1. pag. 100. col. 2. edit. Patavin. et collecta a Catalano in comment. ad Pontificale part. 2. tit. 15 et 16., et ad Rit. rom. tit. 8. cap. 27.*

Tertia tandem, ne in libertate et arbitrio relinquatur locus, in quo tabula erit collocanda, sed indulgens Episcopus, ut in altero ex altaris gradibus ponatur, simul jubeat, ut conspectum Crucis non impediatur, quod expresse praecipit *Benedictus XIV. in laudata Epistola*, et procul distet a SSmi Sacramenti custodia, uti habetur in praesenti S. R. C. *responso*. Quod si alii altaribus Ecclesia sit instructa, poterunt in his minores hae tabulae collocari, quin ulla ponatur in altari, ubi asservatur SSimum Eucharistiae Sacramentum.

S. Angeli in Vado.

Legis latae per gen. Decretum editum die 31. mense Martio anno 1821 bene conscius R. D. Paulus Antonius Marchi Canonicus Cathedr. s. Angeli in Vado, qua interdicatur apponi vel imagines vel reliquias Sanctorum super tabernaculum, ubi reconditur SSimum Eucharistiae Sacramentum, S. R. C. humillime supplicavit, ut saltem ante ejusdem tabernaculi ostiolum collocari possit alicujus *Sancti reliquia die, qua ejusdem festum recolitur*, maxime quum vigeat super hoc ipso immemorabilis consuetudo.

Et S. eadem C., omnibus attente consideratis ac praesertim Decreto in una Congreg. Montis Coronae edito die 22. mense Jan. anno 1701 ad dub. X., quo prohibetur collocare et retinere vel vas florum vel quid simile ante praedictum ostiolum tabernaculi, rescribendum censuit: „Non licere, et assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5033 die 6. Sept. 1845.

Ad dubium: Quum juxta Decretum S. R. C. pridie Kalendis Aprilis 1821 eliminanda sit consuetudo apponendi Sanctorum reliquias piisque imagines super tabernaculo, in quo SSimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum tabernaculum inserviat pro basi, quaeritur: an hoc Decretum valeat etiam pro Reliquiis s. Crucis vel alterius instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi?

Emi itaque ac Rmi PP. rescribendum censuerunt: „Affirmative.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 1 die 12. Martii 1836.

40) Tegumentum.

Tegumentum reliquiarum sit idem et ejusdem coloris, valoris et pretiositatis in tribus diebus Rogationum, a quocumque deferantur reliquiae, sive per Canonicos Cathedr. sive Collegiatae, et Episcopus omnino exequatur. n. 2690 die 14. Apr. 1674.

41) Translatio.

Ab uno loco ad alium reliqu. non transferantur sine justa causa et facultate scripta Episcopi. *Concil. Provinciale Mediol. 4.*

Translatio Reliquiarum insignium, judicio Episcopi, fiat cum solemnibus pompis et pio cultu; *ibid.*;

Fiat cum pridiana recognitione, compositione in arca, assignatione clavium et oblatione; *ibid.*

Fiat cum apparatu viarum, sono campanarum in processione, missa solemni, concione et expositione in altari per diem integram cum debitis caeremoniis; *ibid.*

A Notario fiat instrumentum per acta singula; *ibid.*

Si jumento vel curru vehantur, decenter sternantur; *ibid.*

Quocumque iter fit, significatio pietatis, laetitiae in Clero et populo non desideretur; *ibid.*

Dies translationis, qua ultimo ponuntur, anniversario Officio divino de Sancto, cum licentia majorum, quotannis celebretur; *ibid.*

Carthusianorum Nullius.

Monachi Carthusiani s. Stephani in Bosio Nullius dioec. in Calabria, cum eorum Ecclesia restauratione et reparatione indigeret, praecipue autem altare majus, ubi est corpus s. Bruni, petierunt licentiam transferendi nonnullas alias dictae Ecclesiae reliquias Sanctorum a tabernaculo antiquo nimia vetustate collapsio in novum eburneum ad hunc effectum decentius constructum.

S. C. resp.: Licentiam petitam posse concedi, dummodo translatio non fiat cum solemnibus processione extra Ecclesiam sed privatim intra Ecclesiam et cum interventu Episcopi Militen. seu alterius vicinioris et sine aliqua diminutione dictarum reliquiarum.

Die 24. Septbr. 1605. (Ex Analect. J. P. 1863.)

42) Unio variar. reliquiar. et Officium.

Vd.: *Reliquiae* (Officium etc.).

Cum in Calendario dioec. Tuden. nonnulla inserta fuerint Officia Sanctorum, de quorum legitima concessione

dubitari posset, et alia, quae recitantur, ratione Reliquiarum asservatarum in Ecclesia Cathedrali, ex quibus Reliquiis aliae insignes non sunt, aliae non pertinent ad Sanctos descriptos in Martyrologio romano, cumque hodiernus Rmus Episcopus Tuden. noscens hujusmodi Officia licite recitari non posse, ne memoria tamen eorundem Sanctorum, de quibus festa adhuc celebrata erant, periret, statuerit, ut in die 3. mensis Octobris quotannis Officium cum Missa de communi plurimorum Martyrum in honorem praecipue eorum Sanctorum, quorum Reliquiae non insign. in dicta Cathedrali Ecclesia non extabant, recitaretur, modo ipse Rmus Episcopus de legitima auctoritate, qua id peregerit, aniceps factus, pro suo erga ecclesiasticas leges observantiae studio ad S. R. C. accessit, ut sequens enodare dubiam dignaretur, videlicet: Num praedicta Unio sanctorum Martyrum, quorum Reliquiae non sunt insignes, de jure facta sit, eum non constet de facultate eorum Officia seorsim celebrandi, licet pie credatur, nec de die, in quo eorum festivitas sit assignanda? Et quatenus negative, supplicatur pro gratia ad eorum memoriam conservandam et memorandam.

Et S. eadem C. resp.: „Negative ad primam partem, pro gratia ad secundam, et ad mentem.“ Mens est: „Quod concessio Officii et Missae de sacris Reliquiis intelligatur de omnibus Reliquiis, quae in Cathedrali asservantur.“

Et ita decrevit. n. 4495 ad 1 die 1. Septbr. 1804.

43) Usus vetitus.

Vd.: *Reliquiae* (Delatio ad infirm.; process. vetita).

Nulla modo licere sub praetextu cujusvis consuetudinis, immo verius

abusus, signum s. Crucis et Sanctorum Reliquias ad impetrandam a Deo pluviam tempore siccitatis in aquam immergere aut madefacere.

N. 564 die 19. Jan. 1619.

44) Veneratio.

Vd.: *Reliq.* (expositio, incensatio); *Reliq. s. Crucis*; *Reliq. guitarum SS. Sang. J. Chr.*; *Reliquiae* (genull., asserv., baptizatae, incerti nominis, inventio); *Constit. Clem. XI. diei 14. Oct. 1716* (Bull. r. t. VIII. p. 259)

Reliquiae Sanctorum in locis, in quibus coluntur, solent praestare validum praesidium ad arcendas calamitates et succurrendum necessitatibus. *Bened. XIV.* in Appendice ad tom. 4. sui Bullarii in Constitut. incip.: *Jamdudum* §. 19., ubi adducit exempla.

Reliquiae Sanctorum ut decenti loco statuatur, curae Episcoporum mandatum est a Concilio Tridentino. Idem ibidem Constitut. incip.: *Soror Imelda* §. 1.

Reliquiis Sanctorum utcumque exiguus et licet ignoretur nomen proprium Sancti, cujus sunt hujusmodi exuviae, cultus est exhibendus. Idem ibid. in d. Constit.: *Jamdudum* §. 1 et 2.

Major tamen est fidelium devotio erga integrum corpus alicujus Sancti, si praesertim de ejus proprio nomine constet. Idem ibid. §. 5.

Reliquiae puerorum, cum notis Martyrii repertae, cultum publicum in Ecclesia obtinuerunt. *Benedictus XIV.* Constit. incip.: *Beatus Andreas* §. 20., ubi ad id varia adducit exempla.

S. Paulus I. PP. Abbati Monasterii ss. Stephani M. et Sylvestri C.

Quoniam dum ipsi martyres Christi, contemptis humanae gloriae blandimentis, atque diversa tormentorum supplicia perpassi, pro Christi sunt nomine capite truncati et amici Dei

effecti, omnino congruit, ut sicut eorum animae in coelestibus regnis cum angelis triumphant, ita et in terris quoque eorum sacratissima corpora *lucidissimis habitaculis collocata* optime ab omnibus venerentur Christianis, dum nimirum impensius pro suis cultoribus divinam non desistunt implorare omnipotentiam. Ipsorum quippe me sanctorum confero praesidiis, confidens eorum me suffragiis a peccatorum, qua premor, exui mole.

Die 4. Julii 761.

(Bull. r. t. I. p. 249. n. 3. Ed. Aug. Taur. 1857.)

45) Visitatio.

Si in visitatione adinveniantur Reliquiae antiquae, quae ob injuriam temporum seu ob incuriam custodum careant suis authenticis, debet visitator permittere, ut habeantur in ea veneratione, qua hactenus fuerunt. Sic voluisse S. C. C. refert *Barbosa* in Summa, verbo: *Reliq. SS.* n. 3. et *de Off. et potest. Ep.* p. 3. alleg. 97. n. 11.

In Visitatione SS. Reliqu. inquirendum est:

An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deaurato et cristallo seu vitro integro contactis cum suis inscriptionibus?

An retineantur in armario ornato loco fixo sub sero et clavi cum Epigraphe: *Reliquiae Sanctorum*?

An adsit catalogus omnium Reliquiarum et an sint authenticae vel ignotae aut dubiae fidei?

An asportentur ad infirmos? si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accendantur lumina et si subius altaria sunt deposita corpora integra SS., an retineatur lampas accensa?

Monacell. t. 1. in append. in fine; et t. 4. Suppl. ad 1. t. post n. 267.

S. REMIGIUS.

Officium s. Remigii Episcopi et confessoris concessum pro toto Orbe sub ritu semiduplici ad libitum die 1. Oct. in Basilica s. Cosmae et Damiani perpetuo impeditur infra octavam eorumdem sanctorum; ideo supplicatur, ei assignari tamquam propriam diem 30. ejusdem mensis Octobris.

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit: „Satis esse, ut Officium s. Remigii in casu, de quo agitur, celebretur sub ritu simplicii.“

N. 3901 ad 5 die 12. Junii 1717.

REPOSITIO.

1) Festorum.

Vd.: *Festum* (repos.).

2) SS. Sacramenti.

a) Missa.

Vd.: *Missa de SSmo* (in ejus expos. et repos.).

b) Modus.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXX. 20 etc.; XXXI. n. 12. 13.*

Ad dubium: Utrum in die Octava Festi Corporis Christi Canonicus, qui SSimum Eucharistiae Sacramentum delaturus est in Processione, quae fit ad illud in tabernaculum reponendum, debeat aut possit super rocchetto assumere amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris? ut fert doctissimus Gavantus?

Rescriptum prodiit:

„Affirmative, seu teneri ad assumendum amictum, albam, cingulum, stolam et pluviale albi coloris, comitantibus ministris.“

Atque ita S. C. rescribere rata est propositoque dubia declarare.

N. 5208 ad 20 die 12. Aug. 1854.

c) Nocte.

SS. Sacrament. in Oratione 40 hh. nocte non est in tabernaculo recludendum.

Instructio Clem. §. XXXIII. n. 3. etc.

d) Oratio.

Vd.: *Te Deum* (oratio; decr. n. 5111).

REPRÆSENTATIONES DEVOTÆ RERUM PIARUM.

Vd.: *Theatrum in Eccles.; Process. ss. Corp. Chr.* (laici etc.; quae res circumferri etc.); *Process.* (laici); *Parasceve* (processio); *Vestes Religiosor. etc.*

Ad dubium: An in Ecclesiis fieri possint repraesentationes devotae rerum piarum, puta solemnitatum mysteriorum fidei, passionis domini, vitae alicujus sancti, etc.? *affirmant Barbosa* in cap.: *Cum decorem* n. 6., *Bellet.* disquisit. Cleric. part. 1. §. 23. n. 20., *Cohell.* ad bull. bon. reg. cap. 40. n. 8., *Ursaya* num. 29. per text. in citat. Concil. Toletano 22. cap. 19., ibi: „Per hoc tamen honestas repraesentationes et devotas, quae populum ad devotionem movent, tam in praefatis diebus, quam in aliis non intendimus prohibere.“ Sicque tales repraesentationes, dicunt ipsi, conducunt homines potius ad compunctionem, quam ad lasciviam seu voluptatem. *Negant* autem *Monacell.* num. 107., *Romaquer.* ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 14. cap. 8. n. 9., *Nicolius* num. 27. verb.: *Amplia*, ubi sic expresse habet: *Amplia*, ut neque pia repraesentationes, puta passionis Domini vel Sanctorum, permittendae sint in Ecclesiis. Unde S. C. similes licentias concedere solet cum infrascriptis conditionibus:

I. Quod fiant extra Ecclesiam.

II. A Sacerdotibus vel Clericis aut aliis piis viris.

III. De die, non de nocte.